DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
PHLEBITIDE IN GENERE
ET DE
METROPHLEBITIDE IN SPECIE,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN CELEBERRIMA

C. R. ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT


JOANNES MIHAILĚVIĆ,

SLAVONITA VINCOVCENSIS, E CONFINIIS MILITARIBUS.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae
die mensis Julii 1846

VINDOBONAE,

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITHARISTICAE.





Der bess're Mensch tritt in die Welt
Mit fröhlichem Vertrauen:
Er glaubt, was ihm die Seele schwellt,
Auch ausser sich zu schauen,
Und weiht, von edlem Eifer warm,
Der Wahrheit seinen treuen Arm.

Schiller.

PERILLUSTRI, SPECTABILI,

DOCTISSIMO AC INTEGERRIMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO TESSELY,

ARTIS MEDICINAE DOCTORI ATQUE MEDICO CASTRENSI
PRAEFECTO.

VIRO

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA

NEC NON

HUMANITATE, PROBITATE

ATQUE INSIGNI

SUMMO BONARUM LITERARUM AESTIMATORI

TAMQUAM

ANIMI GRATISSIMI

MONUMENTUM

SUMMA CUM VENERATIONE

TENUES HASCE LITERARUM PRIMITIAS

OFFERT ET DEDICAT

DEVINCTISSIMUS AUCTOR.

PERILLUSTRIS AC CELEBERRIME DOMINE!

Solenne diei festum, quo summos gradus academici honores superi in me contulerunt, auspicatam mihi offert occasionem, animum gratum summamque erga **Te** reverentiam, pro singulari **Tuo** in me favore et benevolentia palam faciendi.

Accipias itaque animo benevolo debilem hunc tironis laborem et fac benigne, rogo, ut, quod viribus assequi non contigerit meritum voluntati optima praestare cupientis indulgeas.

Quae levidensia mea dona, si **Tibi** placerent, nil votis meis evenire posset gratius.

Vivas diu, felix, faustus, incolumis, — vivas in patriae commoda, aegrorum solatium munerisque publici ornamentum! —

Benevolentiam **Tuam** in posterum conservare digneris

devinctissimo Auctori.

Prooemium.

Quum unicum ultimumque officium adhuc restet, quod mihi imponit lex academica, ex vasto scilicet campo scientiae medicae objectum aliquod eligendi et con scriptum publico judicio submittendi.

Selegi hoc scopo Metrophlebitidem et quae circa hanc materiam a diversis auctoribus adnotanda erant, colligere et in totum redigere conatus sum. Probe intelligo, quod opusculum hoc adhuc multum desideret et te precor, *Lector* benevole! ut tironi, qui huncce libellum non ut doceat, sed ut discat scripsit, benigne indulgeas atque faveas.

CAPUT I.

De phlebitide in genere.

Etsi phlebitis (*Blutaderentzündung*), sub quo morbo inflammationem vasorum, sanguinem venosum portantium intelligimus, jam veteribus Graecis acuta venae cavae affectio, quam Aretaeus tam eximie descripsit, cognita erat, etsi Hippocrates in libris de morbis mulierum elaboratis (*Lib. I.*) de puerperarum uteri inflammatione ejusque suppuratione et exulceratione foetorem reddente disseruit, tamen illis vera inflammatio venarum ignota et huic, artis medicae parenti, praesertim phlebitis uterina terra quasi incognita fuisse videtur. Plura praeterierunt saecula, quibus quicumque librorum medicorum numerum tantopere adauxerunt, plane de hac re tacebant, usque dum affectiones e venaesectionibus saepius ortae animos medicorum ad hanc rem adverterent, quas deinde Pareus, Fabricius Hildanus et Divius accuratius descriptas, literis tradiderunt.

Recentioribus vero temporibus, quum de morbis venarum in universum medicorum studium et opera ita excitaretur, ut viginti abhinc annis multa singularia de hac re scripta prodirent, aliter fieri non potuit, quin medici tandem, non e phlebotomia tantummodo, sed aliusmodi quoque laesionibus phlebitidem effici posse intelligerent. Praecipue autem phlebitidi uterinae, postquam Breschet (Hodgson *traité des malad. des artères et des veines. trad. p. Breschet. t. II. p. 433.*) eam vere existere demonstravit, studium et operam dicarunt nonnulli viri ingeniosi, inter quos nominandi sunt: Chaussier, Ribes, Husson, Schwilgué, Clark et Wilson; quin imo ex gente alioquin rei medicinae vir quidam exstitit, qui de hac re libellum composuit, Stanislaus C. Zarnowsky (*De phlebitide. Vilna 1823, 8*). Anno 1826 in dissertationibus suis inauguralibus exempla hujusmodi plura ediderunt Dance, Andral et Louis (*Archiv. gén. t. X. p. 338.*)

Maximam vero lucem et ingenii et consilii huic rei porrexerunt Dance (*De la phlèbite utérine etc. Archiv. gén. de Méd. Dcbr. 1828 et Fevr. 1829*) et Arnott, praeterquam quod Lee, Hodgson, Astley Cooper, Travers Velpeau, Cruveilhier, Blandin, Dupuytren, Guthrie, Carmichael, Wenzel, Balling (*Zur Venenentzündung. Würzburg 1829. p. 286 sqq.*) Busch etc., qui, quod mente et experientia edocti assequuti sibi viderentur, memoriae prodiderunt.

Sed cum symptomata hujus inflammationis tam obscura, decursus tam subdolus et complicationes cum aliis morbis haud rarae sint, in his sine dubio causae quaerendae sunt, ob quas hic morbus tam diu tamque multorum aciem fugerit medicorum et ad hoc usque tempus opiniones de natura ejus atque sequelis tam diversae sint.

Quod attinet ad causas hujus morbi, in eo plerique illorum medicorum conveniunt, ut existiment eas esse laesiones venarum praecipueque internae earum membranae, partim pungendo, incidendo, ligando, comprimendo, contundendo, discindendo, partim materiis acribus iisque irritantibus exortas, quae membranae illi admoveantur. Inde conjici licet, hunc morbum plerumque ex illis momentis exoriri, quamvis negari non possit, eum etiam suapte sponte existere posse, eo quidem, quod venae, utpote quae vim possideant absorbendi, materias in systema vasorum, quae vasa ipsa irritent, possunt excipere; nec non experientia docuit, easdem causas, aëre atmosphaerico, praedispositione aliisque conditionibus adjutas, multo facilius inflammationem illam producere posse. An etiam contagium existat, quod phlebitidem, praecipue uterinam progignere possit, paulo infra, ubi phlebitidem uterinam accuratius exponam, commemorabo.

In hac venarum inflammatione potissimum duo respicienda sunt:

a) tum inflammatio vasorum

b) tum quae inde sequitur secretio normam excedens.

Ab initio morbus eo continetur loco, quo momentum causale vim suam exercuit, ac maneret quoque ibi, nisi momento quodam novo accedente, secretum quippe illud morbosum in

vasis, in quibus liquor quidam continetur, sensim promotum internae membranae adhaerescit, quae eo irritatur ac per longum interdum spatium inflammatur; deinde pus sanguinem, cui admixtum est, mutat pervenitque ita sanguinis circuitu in plura organa, unde nova quaedam symptomatum series originem ducit. Porro observatum est, phlebitidem plerumque sanguinis cursum sequi et sic magis magisque centro circulationis appropinquare, quae quidem processio inde dependere videtur, quod pus in venis inflammatis una fluit cum sanguine venoso ubicumque transfluit, vasorum parietes irritans, quod quidem eo verosimilius videtur, cum inflammatio arteriarum contrarium plerumque habeat cursum. Eo, quod pus sanguini admiscetur, plerumque subito multa, eaque gravissima symptomata exoriuntur, scilicet repentina faciei mutatio, vultus torvus atque perturbatus, magna debilitas, deliria irregularia, intermittentia, dolores, causa adparente nulla in diversis locis; in pectore, in abdomine, et plerumque apathia animique inertia, nullae aegrotorum quaerelae cunctarumque fere rerum contemptus; linguae rubae, fuliginosa saepe materia obductae, siccitas, abdominis tumor accedente diarrhoea, orationis interruptio, suspirii ac gemitus repetitio, respirationis angustae frequentia; cutis luridus, subflavus et coecus color. Denique aegroti in statum, febribus malignis similem incidunt; accedit tremor linguae, motus labiorum spasmodicus, mens alienata, petechiae, subsultus tendinum, pulsus continuo frequens et debilis, saepe mortis accelerantis luculenta signa. Haec vero symptomata neque semper omnia, neque apud omnes aegrotos eadem adsunt.

Sectio anatomica phlebitidi mortuorum instituta medicos edocebat, desorganisationes adfuisse, quae, cum tot et tantae fuerint, brevi, quo exstiterint, tempori quasi repugnabant; nempe abscessus inveniuntur in uno vel pluribus organis, potissimum in pulmonibus, in hepate, liene, cerebro, renibus et in nonnullis articulis; interdum etiam suppurantes tumores sub cute, in substantia musculorum; lien sphacelosus, tunicae cerebri et saepissime pia mater multo sanguine injectae; membrana mucosa ventriculi et intestinorum rubra et emollita ap-

paret, sanguis plerumque justo liquidior et haud raro pure mixtus invenitur.

Quid sit, cur a phlebitide totum corpus tamen graviter afficiatur, quoque modo abscessus illi, quippe in remotis interdum partibus obvii originem ducant, nondum satis exploraverunt. Jam Hunterus (*Transactions of a society for the improvement of med. and chir. knowledge. Vol. I. London, 1793. p. 18.*) affert nonnullas rationes, quibus hic morbus universum organismum afficere possit, dicens: ubicumque phlebitis ad magnum pervenerit gradum, aut latius se extenderit, ponendum esse, totum systema correptum iri, idque eadem ratione ut in aliis inflammationibus, eo tantum discrimine, quod, si venarum membrana intima omnino non aut imperfecte coalescat, pus in circulationem transeat, quod totius organismi affectio augeatur, imo vita in summum periculum adduci possit. In eadem sententia est Abernethy (*Essay on the ill Consequences of Venesection. Surgical Works Vol. II. London, 1823. p. 150.*). In Italia Morgagni primus hanc rem attigit. Monteggia metastasi pondus quoddam attribuit, ratus, pus in sanguinem transgressum inflammationem secundariam efficere subito exsudantem.

Hodgson (*On Diseases of Arterics and Veins London, 1815. p. 511.*) non solum contendit, inflammationem ad eam saepe extendi membranam, quae cavum cordis obducat, sed etiam illam universi organismi affectionem, quae majori quam in inflammationibus acutis occurrere soleat debilitate discernatur, planitiei inflammatae extentione fortasse existere posse affirmavit, nasci tamen etiam posse eo, quod nervi secreto illo in vasis admixtoque sanguini pure adficiantur. Travers disputat, ubi phlebitis cum suppuratione conjuncta est, ibi continuam apparere irritationem, quam hecticus quidam status sequatur et denique virium consumptio. Ad hanc sententiam, affectionem illam universalem pure ejusque cum sanguine mixtione produci, accedunt praeterea Carmichael, Bouillon, Astley Cooper etc. Illa vero opinio, mortem ex eo, quod inflammatio ad cor usque transeat eoque omnia illa phaenomena progignantur, sequi, observationibus non satis probata est. Quamvis enim nonnulla phlebitidis exempla vestigia in-

flammationis in ventriculo cordis dextro adfuisse demonstrent, longe plurima tamen exempla inflammationem admodum localem atque circumscriptam fuisse docuerunt. Qui vero, veluti Dance et Arnott (*Arnott und Dance über Venenentzündung und deren Folgen. Aus dem Franz. und Engl. übersetzt von Dr. G. Himly. Jena 1830.*) ad hunc morbum potissimum mentem adverterunt, secundaria illa in phlebitide phaenomena ex infectione sanguinis dependere transituique puris in circulationem maximum momentum in declarandis periculosis illis laetalibusque affectionibus attribuendum esse ostendernnt. Non multum autem absum, quin venae quamvis inflammatae secretionem eundem effectum habere adfirmem.

Quod vero maxime in pulmonibus, hepate, liene etc. abscessus inveniuntur, hujus rei causa in eo forsitan quaerenda est, quod puris quidem metastasis exoriatur, nec vero puris ipsius, sed admixti jam cum sanguine, qua quidem admixtione ipse sanguis immutetur et organa, quae praeterlabitur, irritentur, unde singularis quaedam inflammatio in iisdem organis ac pus illud perniciosum. Quodsi largiare, pus ipsum in haec organa infundi, intelligi non possit, quomodo tot et tanti, qui in inflammatione venarum diversis in organis reperiuntur tumores, qui repente in pus vertuntur et exulcerant, pus continere possint, nisi ipsa inflammatione praecedente; deinde, quum saepe permultum pus hisce in organis inveniatur, quamvis una tantum vena eaque parvi circuitus exiguique spatii inflammata reperiatur, quomodo haecce una tantum vena inflammata tantam copiam puris in illa organa transfundere possit. Quam sententiam corroborat etiam illud, quod interdum rubor, inflammationibus proprius, mollities atque gangraena illarum partium oculis percipiuntur. Quodsi porro pus ipsum in has partes moveretur, magis magisque quiesceret nec vero tot tantasque affectiones produceret. Quae cum ita sint, contendere non dubitarem, sanguinem plus minusve pure gravitatum, affectiones totius organismi atque irritationem localem parare. Qua quidem ex re facilis est divinatio, phlebitidem non tam simplicem esse morbum, quam multi medicorum existimarunt.

Phlebitidem diversos quidem gradus percurrere diversosque transitus habere negari potest, atque tres potissimum, qui

ex his symptomatibus apparent. In phlebitide minimi momenti symptomata potius ad eum tantum locum pertinent, quem inflammatio incessit, nec aliud quidquam, quam dolorem illiusque partis tumorem percipies, febri aegroti prorsus carent; si vero inflammatio majorem venae alicujus partem occupaverit atque in ea ulterius prorepserit, tunc existunt symptomata, quae magis magisque totum organismum capiunt, vas inflammatum vehementem inurit aegroto dolorem, acerbiorem vel tactu, si antea vas molle erat, ad duri atque nodosi funiculi instar apparet, quem interdum extrinsecus subrubescente taenia videri potest, febri semper grassante. Inflammatione denique ad summum gradum exardescente, pure sanguini admixto diversas complicationes gravissimaque supra dicta symptomata, quae iterum enumerare longum superfluumque erat, observare licet. His igitur de phlebitide in universum praemissis, nonnulla de phlebitide uterina uberius memorare in animum induxi.

Caput II.

De phlebitide et quidem uterina in specie.

Quodsi superioribus imo etiam recentioribus temporibus omnibus fere morbis, partu edito apparentibus, nomen febris puerperalis impositum est, nec singulae species morborum in puerperis exortorum distinctae sunt, nostra tamen aetate nonnulli ingeniosi viri exstiterunt, qui summo cum studio singulares in puerperis morborum species discernere tentarunt. Frequentes complicationes aliis cum morbis subtiliorem distinctionem impedire, quamvis negari non possit, tamen hujus rei periculum facturus singularemque talium morborum speciem propositurus operae pretium esse videtur, omnibus tamen, quae de febri puerperali in genere dici possent, quum nec propositi, nec hujus temporis esset, silentio praetermissis.

Materiam purulentam in uteri venis persaepe post partum adfuisse, jam multis adhinc annis a Meckel, Schwilgué, Wilson et J. Clarke observatum est, quorum tamen nemo ad rem nuper demum observatam mentem studiumque adver-

tisse videtur, dico enim, magnam exemplorum copiam, quae vulgo nomine febris nervosae puerperalis notata sunt, ex inflammatione atque exulceratione venarum uteri originem trahere. Cujus quidem rei causa illa esse videtur, quod phlebitidis uterinae symptomata mirum in modum iis symptomatibus similia sunt, quae multi scriptores vel nervosae vel putridae febri puerperali attribuerunt.

De phlebitidis uterinae sede.

Sedes hujus inflammationis, quam dixerunt phlebitidem uterinam, in uteri venis earumque ramis est quaerenda, quas quidem venas solas inflammatas esse sentis, uteri vero parenchyma inflammationis expers. Quum autem illae venae cum parenchymate uteri arctissime cohaereant, phlebitis uterina, cum ad summum gradum pervenit ac per longum tempus duravit, plerumque cum metritide conjuncta est; interdum etiam fit, ut metritis primum locum obtineat atque phlebitidem progignat. Quodsi phlebitis uterina diutius ac vehementior permanet, affectio inflammatoria a plexu uterino ad plexum pampiniformem, ad venam spermaticam et hypogastricam, ad ipsam venam cavam progreditur. In universum autem venas solummodo spermaticas inflammatio corripit, quo in casu in substantia ovariorum, ligamentorum rotundorum et in longitudinem tubarum venae inflammatae reperiuntur. Ad hoc semper fere accedit earum partium tumor sanguinisque accumulatio, adeoque interdum in substantia ovariorum et lingamentorum rotundorum suppuratio.

Plerumque uno tantum uteri latere phlebitis continetur et eo quidem, cui placenta inserta erat maximeque dextro, utpote cui saepissime placentam inhaerere auscultatione saepe repetita sectionibusque satis exploratum est. Idem valet de inflammatione venarum hypogastricarum, quae vero venae, cum venis spermaticis comparatae, plerumque rarius inflammatae inveniuntur, quod ex venarum spermaticarum connexione cum placenta, ubicunque inhaereat, semper fere intima declarari posse videtur. Non aeque tamen venae in substantia uteri ipsa sitae uno tantum latere inflammari assolent.

Aetiologia.

Quae hujus phlebitidis puerperarum causae sint, in universum adhuc obscurum est. Praedispositionem ad hunc morbum is tantum uterus offert, in quo graviditate et partu antecedente systema venosum praepollet. Qui status ut obtineat, systema venosum toto corpore aut praecipue in genitalibus praevaleat, sive, ut aliis verbis dicam, constitutio venosa adsit, necesse est; qua de causa hic morbus eas potissimum puerperas incidit, quae varicibus magnis in cruribus et genitalibus externis laborant, unde in internis quoque genitalium partibus similia venarum vitia adesse conjiciendum est. Porro omnia illa momenta, quae physica aut psychica ratione venositati orienti favent, veluti tenebrae, nox, cura, infamiae metus, quae caelibes manet, quare hic morbus in nosocomiis obstetriciis, in magnis urbibus, ubi haec momenta cuncta haud raro vim suam exercent, frequens esse solet; neque genius morbi vim non exercere videtur. Valent etiam ad morbum promovendum affectiones chronicae, veluti scrophulae, menstruatio difficilis, haemorrhoides, fluor albus, haemorrhagiae et inter et post partum obviae. Aetatem etiam aegrotarum, partuum frequentiam, annos climactericos, praecipue si primipara ad illos accedit, multi ponderis esse memoratu haud indignum est.

Causae occasionales sunt laesiones in partubus difficilibus, diuturnis et artificialibus utero illatae, violenta placentae remotio, ubi illa adnata est, ramificationes ac cellulae venarum sunt plurimae ac latissimae, ita ut harum venarum parietes, si laedantur, facile inflammentur. Deinde respicienda etiam est vis venarum absorbendi, qua residua placentae, si in utero putrescunt, in venas recepta irritationem efficiunt. Proxime ad hoc accedit sanguifluxus oppressio et fortasse etiam lochiorum. Verosimile est, abortiva quoque causas offerre occasionales, utpote quibus major sanguinis impetus ad vasa uterina fit.

Saepe tamen nihil est, ex quo phlebitidem uterinam exortam esse conjici possit, et coacti summus ad propriam dispositionem atmosphaericam, vel imo ad contagium quoddam confugere. Quamvis omnibus temporibus, num contagium quod-

dam hunc morbum procreare possit, nec ne, disputatum est, certum quidem statuere nihil licet, attamen experientia docuit, si epidemiae febrium puerperalium grassantur, ut anno 1829 in nosocomio civili Viennensi nec non anno 1833 Viennae, phlebitidem uterinam potissimum enatam esse. Perinde Robert Lee (*Neue Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für praktische Aerzte. Dreizehnter Bd. 2. Stück. p. 249 sq. Leipzig 1830.*) exemplum quoddam tradit, quod ponderetur haud indignum foret. Ille nempe dicit: Anno 1831 tres feminas, quas medicus Londoniensis, sectione cadaveris feminae febri puerperali consumptae instituta, die post partu liberaverat, omnes a phlebitide uterina correptas fuisse; decem diebus post aliam feminam, cui is medicus venam inciderat, phlebitide laborasse. E quibus quidem exemplis conjectura nondum capi potest, attamen ut accuratius dijudicentur optandum foret.

Symptomata et decursus.

Phlebitidis uterinae symptomata quamquam tam diversa sunt, tria tamen stadia diagnosci possunt.

Stadii primi symptomata haud raro non tam dilucide apparent, ut tam malignum malum exstiturum esse vix suspicabimur. Primum stadium quod attinet, quod paucis diebus post partum aut legitime aut abortive factum existit, hisce symptomatibus cernitur: vultu plus minusve commutato, gravissimum plerumque uteri morbum indicante, aegrotae perturbatione saepe etiam inobedientia, somno inquieto, somniis interrupto, cuti modo sicca, modo tenaci sudore obtecta, quamvis naturae convenienter calida, pulsu parvo, molli, haud raro irritato, abdominis intumescentia, mollitie saepe dolore cessante, utero semper immodice aucto, interdum plures digitos super marginem ossis pubis eminente, globoso atque aliquantulum duro, quamquam non multum doloris afferente, quem tantum quippe hebetiorem ac graviorem conqueruntur, si regionem hypogastricam aut fundum uteri vehementer compresseris. Internas partes quodsi exploraveris, temperationem adauctam senties, superioris vaginae partis et uteri orificii sensibilitatem, uterum quasi crescentem, ejus orificium plerumque apertum et quem

facile deorsum haerentem tangere possis, secretiones puerperii aut omnino non, aut non satis copiose apparentes; saepe tenuem, serosum, rubescentem, subfuscum aut grassiorem, purulentum, interdum etiam foetorem reddentem liquorem profundi scimus. Mammae mirifice demissae, lac rarum ac serosum. Per amplificatas, dilatatas, propriam vitam agentes numerosasque uteri venas inflammatio undique diffunditur, ex quo fit symptomatum frequentia atque exardescentia. Attamen dolor etiam nunc hebes, dolor animum sollicitans et in abdomine pulsationes, in pelvi gravitatis sensus, quae signa pathognomica dici possunt. Quae omnia symptomata modo statim post partum, modo serius et interdum post sex vel octo dies iterum simul ac lochia sanguinolenta ac mucosa, lactis secretio aucta sudorque toto corpore exiens redeunt, evanescunt.

Saepe vero tertio aut quarto die post in stadium secundum morbus transit, quo ineunte horror dimidiam usque ad unam horam perdurans existit, calor ardens mox una cum sollicitudine magna conjunctus sequitur, pulsus ad *centum* multiplicatus, mollis saepe etiam contractus, febris minus vehemens et tam irritatione quam universali virium prostratione insignis; aegrotae ex capite laborant, atque stupent, saepe sub vesperam in deliria incidunt, facies collabitur atque immutatur, color ejus fit subflavus et canus aeque ac color cutis. Nulla ciborum appetentia; uterus increscit ac dolet. Ab initio hujus stadii lochia sunt fere oppressa, posthac vero largiora, sanguine hic illicve mixta, crassa, purulenta ac foetida; genitalia externa tumida, rubra ac dolorifica. In vagina nonnunquam excoriationes purulentam materiam secernentes inveniuntur. Urina parca, subrubra, purulentum sedimentum relinquens; lac parcum ac serosum infantibus colicam et diarrhoeam causans. Temperatura cutis semper adaucta manui tangenti mordax apparens; sitis est inexplebilis, lingua sicca, alvus ab initio plerumque retenta. Quamdiu hoc stadium perduret quemque exitum habeat, diversum est pro momentis causalibus, pro extensione inflammationis et pro natura puerperae propria et indole. Re prospere succedente purulenta lochia, lactis et urinae secretio aucta, sudores universales alvique fluxus critica habenda sunt.

Saepius morbus eo delitescit, quod venarum inflammatio prorsus desinit, vel quod lymphatica materia exsudatur, quae coaguli forma vasorum lumen partim aut plane obliterat itaque, quominus inflammatio ultra procedat, impeditur, vel eo quoque; quod, ut super Tessier contendit, materia plastica formam organicam induat, qua pus circumdetur ejusque cum sanguine admixtio inhibeatur. Infaustis vero rebus hoc stadium tantum tres aut quatuor dies consistit statimque in tertium transit, in quo pus formatur, quod in sanguinis circuitum transgressum, variis organis stimulus quasi evadit, unde haec nova oriuntur phaenomena; novi frigoris impetus per horas saepe durantes, quod calor flagrans atque aridus excipit; totus proinde febris typhosae concursus symptomatum. Ingens aegrotarum languor, qui in statum transit soporosum, mira faciei deformitas, deliria interrupta cum anesthesia quadam conjuncta, pulsus minor, frequentior, contractior, interdum intermittens, respiratio difficilior magisque anxia cum suspiriis, palpitatio cordis saepe vehementissima, lingua sicca, praeacuta conspicitur et materia fuliginosa obducta, quam saepe etiam in gingiva, in angulis oris et naribus videre potest. Aegrotae etsi potum non appetunt, tamen, cum porrigis, magna aviditate bibunt, interdum vinum cupiunt; haud raro anorexia, nausea, vomituritio et ipse vomitus materiae subviridae ac nigrescentis adest, abdomine meteorismo tumefacto, excrementa foetida in nigrum colorem inclinant et colliquationem indicant; urina fusca subito in partes suas secernitur.

E vagina subvirida, nigricans atque acris materia emanat, excoriationes in genitalibus externis et internis frequentes, sursum et deorsum serpentes; cutis subflava et cana sicca, dura et turgore carens est, tenaci atque foetido sudore obtegitur, omnia imminentis terribilis mortis signa. Praeterea memorandum est aegrotam in hocce stadio, si status nervosus non tam subito erupit nec ad fastigium procedit, de hebetibus, trahentibus, pungentibus doloribus diversis in locis atque organis ortis, ut in articulis, in pulmonibus, hepate, ipsisque oculis conqueri. Quod denique stadium raro perdiu duret et interdum tantum mors aegrotas febri hectica consumit.

Inflammationem cursum venarum sequi, supra jam commemoravi et sane crebro per partium consensum. Nimirum si aliquo loco inflammatio post partum accensa, facile alio quoque aut directe aut indirecte cum illo conjuncto accenditur, quare hic *oovoritis, peritonitis* et ipsa *enteritis* facile concitatur. Sed praeter inflammationem alius quoque, ut supra jam dixi, exoritur status morbosus, pus enim in venis uteri secretum sanguini immiscetur et ex multorum medicorum sententia puris globuli in diversis organis deponuntur, quo fit, ut, quod adhuc nondum sufficienter explicatum est, totum parenchyma, pus illud circumdans, quam celerrime in pus immutetur. Quae tamen supra de phlebitide in genere disputavi, eadem et huic rei plus lucis offerre videntur. Quod in pulmonibus, praecipue in liene, hepate etc. hi abscessus metastatici inveniantur, inde, quod in hisce organis confluxus sanguinis ex omnibus corporis partibus sit in iisque tam tenerae constructionis organis major pure irritatio efficiatur, explanandum esse videatur. Utique quod in aliis organis hi abscessus reperiantur, minus facile explicatu est.

Sectionis expositio.

Cadavera phlebitide uterina mortuarum ad externam speciem plus minusve deformata atque destructa sunt. Interna vero exploratione animadvertitur uterus justo major, ejus cavitas crusta quadam subcana, quae e degeneratis membranae deciduae particulis enata esse videtur, superlita, modo sanie sanguinolenta eaque foetida impleta, ejus parietes condensati, emolliti, colore subfusco aut nigricante. Ubi placenta inserta fuerat, ibi ad linearum aliquot altitudinem summopere uterus mollitus est et pulposa nigricansque materia abradi potest. Simul venae substantiam uteri permeantes plus minusve sufflato, albido eoque magis consistenti, vel seroso pure impletae, quibus si imprimis, major ejus copia effunditur. Quae venae adparent uti ductus fluxuosi, quorum superficies interna plerumque rugosa, colore albido et interdum tenui membrana spuria, aut crassiore puris congerie tecta. Inflammatio ita in solis venis potest consistere et parenchyma, per quod intrent

nequaquam afficiatur, alias hoc quoque inflammatione correptum. Haud raro haec inflammationis vestigia venas spermaticas, hypogastricas, imo ipsam venam cavam attingunt. Vasa nonnunquam ita extenuata, ut nulla inter ea et uterum proportio intercedat. Nonnunquam ubi *phlegmatia alba dolens* aderat, vena cruralis eandem inflammationem prae se tulit. Exemplum me moratu dignissimum Andral (*Clinique méd. t. III. p. 559.*) tradit.

Denique, ubi sanguinem pure infectum esse suspicio fuit, in uno vel pluribus organis abscessus isti inveniuntur, interdum singuli tantum iique parvuli vixque conspicui, veluti in hepate, in pulmonibus, in cerebro, in articulis etc., alias permulti. Praeterea membranas intestinorum mucosas conspicis rubicundas et emollitas. In cavitatibus pectoris, abdominis et pelvis liquoris non raro obvia turbidi, subflati, cum flocculis lymphaticis puri similibus mixti copia. Ubi *peritonitis, oovoritis* etc. accesserant, signa his morbis propria occurrunt.

Diagnosis.

Ex iis, quae hucusque memorata sunt, perspicue cognoscere possumus, symptomata pathognomica phlebitidis uterinae vera adhuc deesse ac tantum omnium phaenomenorum concursus hujus morbi praebet imaginem, qua a ceteris distinguamus. Cujus morbi cum metritide complicatio atque localia utriusque morbi ac similia phaenomena diagnosim facienti magnum adferunt impedimentum. Quodsi transitus puris in sanguinem revera secutus est, tunc phlebitidis uterinae symptomata a metritidis facile discerni possunt. Attamen nonnulla sunt, quae, si accurate perpendas, a metritidis phaenomenis differunt.

In metritide vera, in qua tamen et colli et corporis inflammati discrimen est, collum enim inflammatione correptum tumescit ac rubescit, quod speculo vaginali facile perspicias, idque, si tangas, dolorem efficit; uterus quasi ingravescit, lochia suppressa sunt; quodsi vero uteri corporis imflammatio adest, alia sunt phaenomena: faces enim quasi doloris in regione hypochondriaca admoventur aegrotae, qui dolores quidem illis, qui ex partu proficiscuntur, non multum dissimiles sunt, qui-

que tum perpetui acerrimique fiunt ac regione ossis pubis pressa adaucti, uterus calescit ac durescit, orificium uteri est clausum uterique corpus in pelvim retractum, vel desinunt lochia, vel sanguis tenuis naturae serosae effluit. Febris potissimum est insignis semperque cum anxietate conjuncta, pulsus plenus, durus, frequens ac postea tantum parvus. Quantum vero differunt phlebitidis uterinae symptomata! Uteri superficie interna inflammata, dolor vivax in regione hypochondriaca, vagina, ut ita dicam, formicat et libidinem excitat, dolor sub pressione non adaugetur, febris vel critica vel synochalis est.

Discrimen autem, quod inter phlebitidem uterinam et rheumatismum uteri in puerperio intersit, minus difficile est atque cujusvis ingenio derelinquendum, difficilius tamen, quod inter phlebitidem uterinam et typhum puerperalem intercedit, at vero symptomata typhosa, quae simul ab initio hujus morbi existunt, ejusque typus, epidemiae hujus morbi frequentes aliquatenus ad rectam viam ducunt.

Phlebitidem uterinam a putrescentia distinguere res est admodum difficilis, quia symptomata utriusque morbi simillima sunt. Ceterum tamen respicias ad id, quod putrescentia jam inter graviditatem exoriatur, quod vasorum systema graviter deprimatur, et jam habebis ducem. — Quodsi phlebitis tertium stadium ingressa est, tum cum aliis morbis confusio non facilis est. Porro id animadvertendum est, si deliria praevaleant, ne *primariam encephalitidem*, si lingua rubra ac diarrhoeae copiosae exstent, ne *inflammationem gastroduodenalem* aut denique ne ex perfrigerio certis temporibus redeunte *febrim intermittentem* cave accipias.

Prognosis.

Hujus morbi prognosis in genere valde infausta est, diversa vero pro gradu et incrementis. Ars primo tantum stadio efficax esse videtur, eo, quod inflammationem et suppurationem praecavet. Sanatio etiam eo adjuvatur, quod uterus ipse pro nisu suo contrahendi continuo, sensim venarum, quae sunt in substantia sua, volumen comprimit, itaque, quominus inflammatio procedat, prohibet. Quodsi vero inflammatio ad venas spermaticas

jam progressa est, ne pus jam in sanguinem immutatum sit, valde timendum est, quo facto praesagium pessimum est, nisi natura ipsa crises promovens fortiterque refragrans pus removet inflammationemque tollit. Aliquot tantum exempla, ubi in feminis aetate provectis venae spermaticae et hypogastricae concrementa calci similia variasque desorganisationes continebant, quae inflammationis acutae prioris sequelas esse nullus dubitabit, naturam rebus etiam ancipitibus medicatricem prodiisse, satis affirmant.

Therapia.

Quomodo hic morbus prohiberi possit, in aetiologia jam expositum est, remediis quippe maxime prophylacticis. Inter graviditatem omnia ista momenta, quae periculosa esse supra dictum est, evitanda sunt. In partu ipso, si foetus perverse situs est, naturam lege artis obstetriciae mature adjuva; operationes obstetriciae sint habiles.

Maxima cum cautione remove secundinas, si quae relictae sunt, injectiones aquae chlorinicae in uterum sunt faciendae aeque ac lotiones ac fumigationes aquae chlorinae adhibendae, quibus non solum uteri superficies interna abluitur acresque materiae sinubus uteri adhaerentes abluuntur, sed quibus inflammatio ipsa lenitur; quae vero injectiones per diem tam diu repetendae sunt, donec aqua profluens colorem sibi proprium acquirat et non amplius male redoleat. Nec minus lochiorum et sanguifluxus suppressio injectionibus calidis iisque emollientibus restituenda est. Contra materias putridas absorptas *halogenium* proposuerunt.

Ipsius morbi indicatio est, ut inflammatio ipsa tollatur aut in quantum possibile restringatur. Quamvis Dance venaesectiones maximopere commendet, tamen experientia hoc minus probat, nec inficiari possumus, symptomata inflammationis ineuntis ejusmodi esse, ut venaesectionem contraindiceut. Immo, ubi reactio vehementissima dolorque uteri acerbissimus, venaesectio ad tempus tantummodo aegrotantibus levamen afferre poterat. Dolore vehementiore hirudines et ad symphisim

ossium pubis, et ad peronaeum, et ad utramque partem simul appositae, praeterea fomenta calida et cataplasmata emollientia aptissima remedia esse videntur. Sed nulla utique, quae penitus frangere hanc inflammationem queant, remedia praesto esse, experientia satis docet. Intrinsecus acidum hydrocyanicum haud dubie maxime juvabit. Huic digitalis purpurea, num accommodate admiscenda sit, nondum experimentis satis est affirmatum. Interposuisse juvabit, ut per intestinum rectum derivemus, tartarum emeticum vel aliud magnae doseos sal.

Perfrigerium singulare facile nos in roborantem atque irritantem medendi methodum inducere posset, sed notum testatumque est, eam potius nocuisse quam profuisse. Quodsi venarum inflammationes revera per pus progressae sunt purisque cum sanguine mixtio tam periculosa phaenomena protulit, magnae utilitati foret, inter cor ac inflammatam venam, si in superficie sita est, compressionem facere, non tam, ut inflammatio adhaesiva tunicarum internarum venarum provocetur atque eo morbus coërceatur, uti Hunter, Reil, Abernethy etc. censuerunt, quam, ut eo, quod venae pars nondum inflammata mechanice claudatur purisque transitus in circulationem sanguinis praecaveatur. Quod experimentum Hunter semel feliciter persequutus est.

Phlebitide uterina in tertium stadium transeunte, multi doctissimi medici ex prospero successu nauseosum dare tentarunt, ut eo vehementi impetu inflammationem et pus circulans et tollere et removere possent; ad quam rem ipsa natura digitum intendit. Praeterea in tertio stadio adhibenda sunt remedia antiseptica, nam prostratio virium, pulsus debilis etc., quamque sanguinis emissionem contraindicant. Quodsi vero omnia remedia auxilium negant, tunc palliative agendum est, nec remediis heroicis aegrotae excruciandae.

Sed in fine hujus libelli quin moneam maximi esse ponderis omnia momenta causalia, quae phlebitidi uterinae favere possunt, removere, temperare mihi non possum. Nam vel quaevis concussio inter eundem etc. inflammationem et substantiae et venarum uteri producere facile potest. Quare aegrotis non satis commendari potest, ut quam diutissime se in lectulo con-

tineant; ac semper respicienda sunt verba Sydenhami: „Diu est a quo mihi subiit in mentem, quod ex iis quae moriuntur puerperis, vix decima quaeque, ut modeste computemus, vel ex eo perit, quod vires partui necessariae eam defecerint, vel ex doloribus partum laboriorem comitantibus; at eo maxime nomine, quod debito citius lecto exsurgat.“ (*Sydenham. Opp. medica. T. I. p. 279.*)

Theses defendendae.

I.

Operationes chirurgicae summum sistunt artis atque scientiae medicinae culmen.

II.

Morbi graves in feminis facilius quam in maris ad resolutionem coguntur.

III.

Oculorum morbi in magnis urbibus longe frequentiores quam ruri.

IV.

Lacti materno in multis casibus alia nutrimenta praeferenda.

V.

Morborum infantilium tractamen omnium difficillimum.

VI.

Surdus longe plus deplorandus est quam caecus.

VII.

Vulnerabilitas sit chirurgo ejusdem momenti, quam receptivitas medico.

VIII.

In extractione cataractae epikeratomia hypokeratomiae semper praeferenda.

IX.

Amicorum consortium optimum hypochondriae remedium.

X.

Quaevis inflammatio phlebitis est.

XI.

Nomen nesciens morbum curabo.

Sydenham.

XII.

Medicus pessimus aeger.

XIII.

Unum regimen diaeteticum sufficit ad multos morbos debellandos.

XIV.

In determinatione plantarum methodus analytica summi momenti.
